DE PUTREDINIS EXISTENTIA IN ORGANISMO HUMANO VIVENTE DISQUISITIO...

Angelo Locatello



DE PUTREDINIS EXISTENTIA IN ORGANISMO HUMANO VIVENTE *DISQUISITIO*

QUAM

AD SUMMOS IN MEDICINA HONORES ASSEQUENDOS

IN CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PROPONIT

ANGELUS LOCATELLO

VENETUS.

VENETIIS

EX TYPIS JOSEPHI GATTEI

MDCCCXXX.

PAULO VISONÀ

IN ARTE MEDICINA VETERANO

ETC. ETC.

HANCCE DISSERTATIUNCULAM

IN GRATI ANIMI TESSERAM

OFFERT

ANGELUS LOCATELLO

DE PUTREDINIS EXISTENTIA

IN

HUMANI ORGANISMO VIVENTE

Disquisitio.

I.

Medicinae fundamenta observationi, et experientiae tantummodo inniti non solum notum omnibus est atque compertum, sed ab ipsis medicorum operibus confirmatum. Ex quibus observationibus et experimentis invicem comparatis theoremata generalia conduntur, et veritates generales deducuntur, donec tandem ad principia illa perveniamus, quae *leges Naturae* nuncupare consuevimus. Res medica, quemadmodum omnis scientia naturalis, *Inductione*, *et Analogia* opus habet, quae methodus unice idonea existimatur, ut ad cognitiones evidentes, et certas humanus intellectus evehatur.

II.

Quamquam *generalis* methodus Veri inveniendi difficulter non definiatur; aegerrime tamen saepe saepius ad Naturae phaenomena evolvenda convertitur, et in scopulos haud raro incurrimus immanes, ed Scyllam vitare cupientes in Charybdim incidimus. Longum esset, nec hujus loci errores omnigenos enumerare, in quos Majores nostri frequenter ob sanae methodi defectum lapsi sunt, neque ad errores illos profligandos una sufficit aetas: sensim enim sensimque plurium saeculorum opera evanuere. Non inficior nos nunc etiam in erroribus versari, semperque versaturos: quod mortalis

fati est sequela: at hominum commenta in dies decrescunt, quae ad minimum numerum a seris nepotibus confidimus fore ut redigantur.

III.

Nec medicorum disciplina tenebrarum tantarum fuit immunis: et ea libenter praetereo, quae omnis aevi periti, et imperiti ad humani corporis functiones interpretandas aut ad morbos cognoscendos in medium attulerunt, oblivioni magna ex parte jam tradita. Unum ex hisce nostris adhuc diebus celebre ad trutinam denuo revocandum decrevi, illud nempe: Utrum materia putrescens organismi humani partem constituere possit, nec ne? Quod sane argumentum hodierna luce mihi disquirendum suscepi coram Vobis, Praeceptores sapientissimi, non tam ut Academiae hujus vetustissimae legibus satisfaciam, quam ut vestram denuo experiar humanitatem. Quapropter si iste dies mihi gratissimus esse debet, a quo novae vitae ducam exordium, gloriosissimus idem est, cum praestans vestra singularisque natura, sapientia summa in adolescentibus sustinendis, aequitas tandem vestra omnem mihi coram Vobis dicenti detrahat perturbationem.

IV.

Ut corpus organicum quodlibet putrefiat, varia requiri audio: *caloris gradus*, *humor*, *aeris accessus*, *quies*; quae ubi vel cuncta, vel partim desint phaenomenon illud aut nequaquam, aut lentissimum deprehenditur. Materies organica per vires illas exteriores secedit, elementaque tum illius, tum horum nova ineunt connubia. Pars per graviorem aera attolitur et aufertur, pars restat pristinae tamen prorsus orba texturae proprietatumque quibus prius excellebat expers omnino. Odor peculiaris, faetidus diffunditur. Haec per experientiam omnia innotuere.

V.

Materies organica peculiaribus proprietatibus praedita dum vita viget, ex elementorum simplicium synthesi, certa *e.* c. compositione constat, ejusque character *Productio*, *et Reproductio.* Nec tamen Vitae status mutationes respuit: immo nunquam intermissarum mutationum series experitur, quas quum in sanitate, tum in morbis et multo notabiliores observa-

mus. Quamobrem Medici plures, et optimo quidem jure, morbos (organicis exceptis) mixtionis organicae alteratae effectus statuerunt. Clar. *Reil*, ni fallor, primus viam aperuit, quam postea alii plures, interque Nostrates *Buffalini* sunt ingressi.

VI.

Corpora organica et inorganica non solum viribus, sed elementorum quoque synthesi differunt; etsi analysis nos doceat eadem ut plurimum esse tum inorganicae materiae tum Organismorum elementa Anorganica in organica quivis sensim sensimque trnasformari cernit, nec minus organica in anorganica converti. Organismus igitur mutationibus obnoxius est: unde etiam ejus vita quasi per gradus imminui potest, mortique magis magisque adpropinquare.

VII.

Per hancce materiei mutabilitatem fit utique, ut enascatur processus ille per quem putrescit Organismus. Solidae partes et humores etiam promptius dissolvuntur. Cumque organicae substantiae eaedem non sint, sed indolis juxta textus, humores, aetatem, morbos, diversissimae, nil mirum, si faventibus circumstantiis, celerius, aut aegrius metamorphosin indicatam subeant, et varius etiam nisus in putredinem juxta vicissitudines externas, caloris gradum, aeris conditionem, circumfusi humidi vaporis copiam.

VIII.

Sanguis circulat, nec unquam quiescit; calor eundem pervadit quidem, sed is debet esse ejusdem gradus qui cruorem in norma sua retinere valeat; aer oxygenius per pulmones inducitur, at ea quantitate quae ejusdem indolem tueatur, nec destruat; porro si quid in humorum fluentum invectum fuerit alieni, statim per vasa et organa secernentia ex organismo expellitur. Haec quidem opinionem illorum, qui putredinem adesse aliquando arbitrantur, vehementer labefactant: desunt enim momenta, quae illi faveant. Sed principiis quoque physiologicis, et pathologicis eandem oppugnare, et evertere conabimur.

IX.

Putredinis processus, processusque vitae se se mutuo excludere videntur. Quo magis vita viget, quo majori agit energia, eo etiam arcetur putredo; quo autem magis vitae robur hebescat, frangatur, eo etiam proclivitas in tabem notabilior. Et revera hujus processus signa, per quae in sensus incurrat, haud ignorantur. Faetor peculiaris diffunditur praecipue, nemini ignotus, ex principiis volatilibus derivans. Horum omnium in hominis viventis humoribus nemo aliquid notavit. Quae observationes de corrupto sanguine proferuntur, vel rem non demonstrant, vel fidem prorsus non merentur.

X.

Ad digestionis functiones gradum parumper sistamus. Physiologi recentiores in id consentiunt, succos gastricos peculiari vi in alimento agere, corruptionem illuc haud inferre, immo nisui alimentorum in putredinem valide obstare. Ulcera impura eodem succo illinita prosperam metamorphosin subiere. Nec in stomacho ciborum mora sat longa. Auctores gravissimi, nec uti videtur falso, statuunt: organis digestionis summopere hebescentibus, cibos in fermentationem putridam interdum abire, cum potissimum cibus copiosior, vel putrescens deglutiatur. Sed alimenta, quae in ventriculo morantur in organismi massam revera nondum pervenere, nondum substantiae organicae nuncupari merentur, nec eorum per breve tempus absentia morbosi quid unquam indigitaret. Extra massam organicam existunt.

XI.

Hocce phaenomenon igitur a viribus digerentibus omnino prostratis originem ducit; ex quibus fit ut neque succi secreti virtute propria gaudeant, nec motus peristalticus satis vigeat. Haud dissimili ratione faeces putrescentes emittuntur: eae vero aliquid constituunt ab organismo separatum, quod mora protracta in illum processum fertur, et eo certius, quo debilius secretio enterica, materiei contentae affinitates mutuas, ut in secunda valetudine solet, determinare valeat; sed potius subimet relin-

quantur. Id et rapidius in typho sive febri putrida peragitur, calor quippe pyreticus accedit, unde tympaniticus tumor imi ventris.

XII.

Pari modo urinae putrefactae si unquam vere talis est emissa, origo explicari potest. Est humor a massa humorum jam secretus. Ipsam post emissionem putrefieri, mirum jam non est: sed non de hoc disquirimus, an humores extra organa putrefiant. Nec cutis transpiratio aliquid probat: non enim semper ejusdem qualitatis materia exhalatur. Id vero ex sanguinis, ex secernentium vasculorum conditione, ex secretionum reliquarum copia, et qualitate dependet: ex quibus universis transpirationem infinitis fere modis variare debere facile concipimus. Unde et odor proprius saepissime illam comitatur, a nulla morbi suspicione derivandus. Factor idcirco nullo negotio per allata explicatur, quin intra vasorum systema humorum putrescentiam imaginemur.

XIII.

Non ego ineptias effutiam. Quaesitum est uter organismus celerius putrefiat, qui vegetabili, an qui animali victu nutritur? Quaestio ad rem nostram non facit. Etenim vel organismum viventem respicimus, vel emortuum. Priori loco victus quantumvis dissimilis, ad Nutrientium classem spectat, vires vel conservat vel reparat, materiei organicae humorumque masse incrementum dat: in id vero consentiunt omnes, et ridiculum sane foret putredinis fontem in alimentis quaerere. Sive post obitum juxta alimentorum qualitatem, organismi in putredinem propensionem variam metiri velimus; idque ad nos iterum non pertinet, cum vitam non mortem nobis indagandam instituerimus. Leges, quae hominis aeconomiam vigente vita regunt, ab illis, quae eo exitncta vita potiuntur, distant certe. Vita enim evanescente, elementa quae prius ita jungebantur ut exinde phaenomena nutritionis, sensilitatis, et motus exsurgerent, in eorum proportione, et numero celeri gradu immutantur. Non est igitur tuta ratiocinatio ex iis quae in mortuo accidunt ad vivum relatis. Id etiam per experientiam evincitur: quantum enim discriminis intercedit inter actionem caloris, frigoris, aeris atmosphaerici, acidorum, satis in corpus vivum, interque actionem eorumdem in corpus vita functum! Medici id omnes sciunt.

Quot, et quanti ex praeterviso isto discrimine in medicam scientiam errores promanarunt! quot in Pharmacologiam ex esperimentis in cadaveribus institutis fallacia invecta sunt theoremata! Sed haec nostro aevo satis nota.

XIV.

Inutile duco Physiologiam comparatam in medium afferre, ut probem animalia quaedam cibo putrescenti innutrita alacria increscere: tantum abest ut detrimentum aliquod patiantur. Veniamus potius ad eos qui inedia enecti putredinis theoriam aliquomodo fulcire putabantur. Eorum cadavera citius corrumpi contendunt ii, qui pro putredinis innatis elementis pugnant; verum quid de indagine cadaverum hoc respectu sentiendum sit, modo exposuimus. Urinam pergunt putrefactam fuisse inventam, fuscam, mordacem: mordacem, fuscam fuisse concedimus, dubitamus putrefactam, quae etiamsi talis esset, adversariis admodum non faveret. Halitum fetentem allegant: quasi is in sanissimis hominibus nunquam obvius esset: ostendendum erat tamen eundem a sanguinis putredine progigni. Plures praeterea historiae recensentur eorum qui jejunium ad longum tempus pertulerunt halitu putrido haud memorato. Quod de lacte contendunt rancido in iis reperto, concedimus sane aliquo modo alteratum fuisse, quin tamen inde conjiciendum sit, lac in organismo adhuc vivo existentem in tabum converti. Praeterquamquod viscera in corporibus inedia extinctis integra, uti alias solent, reperta sunt, nec cadavera in putredinem proniora, uti Tulpius, Rediusque animadverterunt. Phaenomena esurientium universa, per consueta principia intelliguntur.

XV.

Neque opinio haec ab iis animadversionibus labefactatur, quas putridarum quarumdam febrium (earum praecipue quas typhoideas appellant) consideratio cuiquam potest suppeditare. Praecipuus mali illius fons in systemate nerveo a norma aberranti quaerendus. Nec desunt, quin in illo vitam nimiam reperiant, a sanguinis pondere oppressam. Ut ut sit, compertum tamen habemus sanguinem ab organismo hacce aegritudine laboranti subtractum, nil putridi medico offerre. Solutum videmus, aegrius concrescere, et morbo affici gravissimo: phaenomena, quae luculenter synthesin penitus alteratam testantur. Salium copia ingens: sed tantum

abest ut putredinem acciceant, ut potius eandem potenter retardent. Crusta phlogistica, si qua adsit, nil certi designat, et a plurimarum circumstantiarum influxu vel creatur, vel supprimitur. Quae etiam rationi maxime consentanea deprehendo: sanguis enim bonus, per bonam textuum et praesertim vasorum actionem paratur; qua maxime in febri putrida sub normam labente, sanguis debito vitae gradu instructus creari profecto nequit.

Quod si in febribus quibusdam, quae putridae pariter existimantur, sanguis viscidus appareat: affirment quidem putridum cum phlogistico morbo conjunctum. An haec sibi repugnent dicant alii. Nihil autem haecce proficiunt ad theoriam putredinis aedificandam. Allatis ferme argumentis refelluntur.

Quid de peste dicamus? Ad febrium typhoidearum phalangem spectat. Rapidissime decurrit; systema cerebrale, gangliorum, vegetationemque universam violentissimo ictu percellit, prosternit: ita ut saepe subito fere organismus exanimis corruat. Quod reliquum est, ea recolamus, quae modo de febri putrida diximus.

XVI.

Nec scorbutum praetereamus: etsi a febri modo memorata admodum non distet. Causae huic aegritudini ansam praebentes eae sunt, quae organicas vires infirmant. Utrum ex solidis an ex fluidis originem primam ducat, id otiosioribus disquirendum relinquimus ingeniis. Causae remotae modo haec, illa modo primitus perturbare utique possent. Sed (quod magis interest) textus flaccidos, laxos potentiis mechanicis facile pervios offendimus, systema nervorum torpidum, iners. Sanguis scorbuticus secundum celeb: medicorum observationes aeri expositus, citius ac sanus non corrumpitur. Carnis arietinae lamellae sero sanguinis scorbutici madefactae gratum suum non amittunt saporem, seque infectas fuisse gustui non produnt. Suggillationes, haemorrhagiae non infrequentes ab eadem discrasia producuntur, quae phaenomena tum a sanguine liquidiori, tum a vasculis flaccidis distentis proficiscuntur: unde cum solito facilius cedant, per ea sanguis effluit. Interdum fit ut a vasculis divisus in textu cellulari colligatur, ibique immobilis moretur, et fere corrumpatur. Sed ne praetervideant spontaneae putredinis fautores, hoc in casu, sanguinem a massa humorum jam discretum, intra cellulas membranarum materiae peregrinae ad instar retineri.

XVII.

Sublesta admodum argumenta ex dysenteria in rem suam trahent adversarii. Quamvis enim remota morbi causa nondum satis innotescat (videsis Frank Epit. §. 691), catarrhum tamen intestini crassi plene simulat. Cadaverum sectio phlogosim hujusce intestini saepe patefecit, subinde vero nullam. Humores in phthysi corruptos nonnulli putant, vel putarunt. Si morbosos intelligant, ultro concedo, sed idem in plurimis morbis contingit: si putrescentes judicent, refragor. Unde istud resciverunt? An ex flexibilitate membrorum post mortem? Grave sane argumentum! Praeterea flexibilitas eadem in febri putrida, de qua disseruimus; eadem in suffocatis aere carbonico obvia est.

XVIII.

Ad Myasmata, quae absorpta corruptionis fomitem in organismum invehere possint, quidam confugerunt. Animadvertendum tamen est, hujusmodi principia, sive vegetabilia sive animalia sint indole sua parum esse tenacia, per simplicem nimirum aeris puri afflatum corrigi et nocuam vim amittere: simillimum igitur vero judico myasmata ejusmodi simul ac in organismum ferantur per vitae multo validiorem energiam secedere in sua elementa, assimilari quodammodo vel egeri. Sanguis enim nullum myasmatis vestigium hujusmodi in morbis offert. Quo demum modo febres intermittentes per aquarum residum, per paludum effluvia cieantur: id mortalem mentes aciem etiamnum effugit, et in posterum fortasse effugiet. Causa proxima morborum dynamicorum nunquam, ni omnia me fallant, eruenda. Cortex rerum tantum, relationes earum generales, effectus pauci nobis reserantur; in causarum vero et effectuum se se mutuo excipientium serie lacunae apparent, nullo humano conamine unquam adimplendae. Sufficiat probasse per myasmata putredinem nullam in organismo generari. Id solum adnotandum potius censeo: putridos vapores pluries a corruptione humores tueri. Ostendit revera clar. Pringle vapores urinae putrefactae interdum salubres fuisse, quemadmodum et ex maceratione cornu cervi, et caet. aerem obtineri, qui corruptionem a substantiis animalibus arceat.

XIX.

Quoad contagia pertinet, scimus quaedam uti morbilli, variolae, scarlatine, receptivitatem organismi ad eadem rursus excipienda obtundere, quod, quo pacto accidat, celeberr. Hartmannus conatus est in Pathologia sua illustrare. Illustr. Rubini idem de typho petechiali observavit. Afferuntur, inquit ille, exempla recidivae febris. » Io, pergit, osservo però » che la somma confidenza, con la quale i medici, chirurgi, ed astanti » tutti, ch' ebbero il tifo contagioso una volta, si espongono giornalmen- » te all' infezione, prova la somma, e massima frequenza delle osserva- » zioni contrarie ». Sed etsi pluries recidivae observarentur fatendum tamen » che siffatte osservazioni sono rare rispetto alle osservazioni contra- » rie, come l' eccezioni lo sono riguardo alla regola ». Contagia tamen enumerantur quae iterum iterumque afficiunt, qualis siphylis etc. Humores alterari per contagia, id quidem in pluribus exploratum habemus; corrumpi vero nec ex theoria, nec ex observationibus unquam eluxit. Quod si putredinem inveherent, facilius homo in eandem aegritudinem relabi posset: nec unquam, contra ac in pluribus contagiosis affectionibus animadversum est, regressus occludi deberet.

XX.

Quid de suffocatione per aeris species varias sentiendum sit: id nemini tenebrosum videri debet: hinc hujusmodi quaestionem praetereo, ad venena tantisper mortaturus. Et principio viperae et hydrophobiae venenum in primis nervorum compagem adoritur, percellit, uti ex sensuum statu, ex animi deflexu, ex motuum alterato robore, et sublato concentu ultro patet. Nos aliunde non latet per plura tum mineralia, tum organica venena organismum vehementissime subinde affici, eumque anima vix efflata in faedissimam tabem illico corrui. At hic ea quae superius exposuimus recolamus: veneno organismi synthesim, seu mixtionem ita perturbasse, ut ipsmet extincto, promptius multo ac solet putrefiat, quod etiam fuit a clar. Milmam observatum.

XXI.

Quid solidae partis putredo designet, nemo nescit. Concludere igitur liceat: 1.° in corpore humano vivo nondum, ut ut sedulo in hos medici inquisiverint humores putridos detegi; 2.° quos putridos nonnulli suspicati sunt, eos vel jam ab organismo secretos fuisse, vel in cadavere solummodo repertos; 3.° theoriam utpote latissimae observationi, et experimentis multiplicibus superstructam, opinionem nostrae contrariam labefactare quam maxime, imo evertere.

THAESES.

I.

Consuetudo obtundit sensum, perficitque judicium.

II.

Fames, quae a ventriculo oritur, nervos omnes inde in consensum rapit.

III.

Perpetua pugna adest inter leges organicas, et physicas.

IV.

Sensibilitas major in calidarum, quam in frigidarum regionum incolis.

V.

Influxus *absolute* stimulantes non habentur, quemadmodum nec *absolute* debilitantes: sed qui hinc motum organicum excitant, labefaciunt illinc.

454.